
LIBRARIÆ
UNIVERS
IAGELL
CRACOVI

SALINARVM VIELICIENSIVM IVCVNDA AC VERA DESCRIPTIO,

Carmine elegiaco.

AVTHORE
ADAMO Schröthero Silesio:

AD LECTOREM CANDIDVM.

Si reputes annos lector syncere Poetæ,
Hoc carmen uultu candidiore leges.
Vtq; petit salsos doctorum turba libellos
Nascitur è salsis montibus iste liber.

CRACOVIÆ,
Lazarus Andreæ excudebat.
MDLIII.

Aquila Serenissimi Sigismundi Augusti
Dei gratia Regis Sarmatiæ.



Vt fortes aquilæ Ioui ministrant,
Sic Auguste tuam sequuntur aulam.

INVICTO AC GLORIOSO SIGISMVNDO AVGVSTO, Regi Polo. Lituaniæ, Rusſiæ, Pruſsiæ Mazouiæ. &c. Domino ac hæredi. Regi ac Dño ſuo clementiſs.

ADAMVS SCHROTHERVS SILESIVS.

COnſueuerunt plerunq; Poëtæ non uulgares, Sigismunde Auguſte, Rex Sereniſs. totius potentis Sarmatiæ ſummum decus & columen, uel Heroas inclytos, quorum patrocinio & fauore fruuntur, uel mirandam diſpoſitionem, ſitum & delicias locorum, in quibus uerſantur, ſuis lucubrationibus notiora reddere externis, & poſteritati commendare. Horum ego (quamuis iuuenis ſum, plurimisq; indies moleſtiis ferè obrutus deprimor) morem ac conſuetudinem ita tamen ſequi ſtudeo, ne quisq; meæ ætatis, mihi petitum palmæ præripiat honorem. Quapropter Rex Sereniſs. cum in hoc inclyto Sarmatiæ regno, Muſis deditus diu uiuam, duabus iam præcipuè rationibus adductus, ſtudiorum meorum ſpecimen, ingeniiq; mei fœturam edere uolui. Primum uero, ut quædam huius Regni ornamenta, quæ non paruam ſua utilitate laudem merentur, exteris per mea ſcripta magis nota eſse poſſint. Deinde ut & multorum clarorum Virorum

de me concæptæ expectationi satisfaciam. Salifodinas igitur Vilicenses, miranda naturæ fæcunditate fertiles, quæ uigili prudentia, consilio, ac studio Clarissimi Viri Hieronymi Buzinsky, fœliciter coluntur, reguntur, semperq́ in maius euehuntur, describendas musis meis proposui. Has igitur subito notatas calamo Rex Sereniss. Maiestati tuæ dedico, regioq́ tuo subiicio patrocinio: ut multi Maiestatis tuæ authoritate adducti, hanc descriptionem legant libentius, fidemq́ adhibeant. Sed quanquam longè preciosiori munere dignus es, tamen Regia tua Maiestas hoc exiguum scriptum, læto suscipere uultu, ne dedignetur, magisq́ donantis animum quàm donum ipsum aspicere uelit. Siq́ hoc iuuenile scriptum à tua R. Maiestate non auersabitur, breui quæ maiorem gratiam & lucem Maiestati tuæ, & potentissimo Sarmatiæ regno adferent, scripta sequentur. His me in gratiam tuæ Reg. Maiestatis humiliter commendo, animumq́ meum ad omnia paratissimum, qui optat ut optato componas omine, quidquid effectum fato dexteriore cupis.

Datum Craco. Idibus Maii.
Anno M D L III.

SALINARVM VIELICIENSIVM DESCRIPTIO AVTHORE ADAMO SCHRÖTHERO SILESIO.

TEmpora paulatim nocturna minora diurnis
Fœcerat auricomis Sol radiatus equis,
Igniferiq́ frequens tendebat ad aurea Tauri
Cornua, posthabito iam gregis ille duce:
Gratius & liquido rediebat sydere tempus,
Spirabat pulso mitis & aura gelu.
Quando nouenarum tibi delphice Phœbe sororum
Talia ductori uerba precesq́ dedi.
Quod faustum fœlixq́ meis sit & utile cæptis,
Phæbe parens cytharæ dulcè sonantis ades:
Sæpius utq́ soles tenero succurrere Vati,
Mite meum firmet, te duce, numen opus.
Doctarumq́ choro facilis permitte Dearum,
Possit ut ominibus dexter adesse suis.
Vtq́ mihi semper promptas in Carmine uires
Præbuit, aonio cuncta docente stylo,
Sic ferat auxilium nostris iam Versibus æquum,
Dictet & egregium uoce sonante melos.
Quid iuuat hic humiles inter, steriles q́ myricas
Serpere? sublatum iam petat astra caput:

 Qui

Qui loca Parnaſsi ſuperauerit ardua montis,
Et poterit Vates inter habere locum:
Effugiet tenebras & luce fruetur in æuum,
Contemnetq́; tuas mors truculenta minas.
Hæc eſt nobilitas quæ tendit ad ignea cœli
Aſtra, nec eſt ullis interitura malis.
Hancq́; petam, finem ſi ſors neget ulla petitum,
Sit certis aliquid me uoluiſse modis.
Ardua ſæpe breues audent, quos ipſa creauit
Eximiis rerum dotibus alma parens.
Non datur interdum placidam contingere metam,
Interdum uotis uidimus eſse pares.
Laudo uoluntatem, nec acumen nobile mentis
Improbo, cordatos ſors iuuat æqua uiros.
Vilifcum — Sed locus, eſt ueteres illum dixère Viliſcum,
Milia qui Grachi diſtat ab urbe duo.
Huc recto ducam faciles ego tramite Muſas,
Hoſpitio poterunt conueniente frui.
Diuina cultas luſtrabimus arte Salinas,
Sal duplex. — Vnde uenit duplicis copia magna Salis.
Quarum præfectos, cultores atq; magiſtros
Nil minus & magni grande laboris onus
Aggrediar, certo dictantibus ordine Muſis,
Notius & cuiuis per mea ſcripta uolo.
Auſpiciis igitur pulcherrime Phœbe ſecundis
Hoc mecum Diuas ire iubebis iter.
Quid precor impediat? quid ſpõte uolẽtibus obſtet?
Te duce nulla ſuum ferre grauatur onus.

Nor

Non teneras minimum lædent torpentia plantas
Frigora, nec damno Sirius ater erit.
Diffugêre niues, campis & amœna ſolutis
Gramina iam redeunt & uiret omnis ager.
Vernus & Heſperio Zephirus procedit ab orbe,
Pictáq; puniceis floribus arua rubent.
Ecce mouent choreas ad concaua littora Nymphæ,
Mollibus ornatæ tempora pura roſis.
Semideæ rident Dryades, uiridesq́; Napææ,
Dulce ſonat gratis & philomela modis.
Hancq́; iubent Satyri, montanáq; numina Panes,
Propoſitam nobis continuare uiam.
Iamq́; ſatis Grachi regalia uidimus Vrbis
Mœnia, magnifici deliciasq́; loci.
Cuius ego reputem ſi ſplendida quæq́; decusq́;
Cultores uaria quæ ratione iuuant,
Vix poſsem paucis procul eſse diebus ab urbe,
Quis tanta nolit commoditate frui?
Sed cum Sarmatici iam nobilis ordo Senatus,
Et ſua quiſq; Ducum regna, domusq́; petat. Finis conuentus.
Nos quoq; Cracouiæ breue tempus linquere muros
Poſse puto, pretium fama perennis erit:
Nam licet exiguum paruumq́; ſubibo laborem,
Effugiet ſummos attamen ille rogos.
Nobiscumq́; potes comitantibus ire Deabus
Si placet, hos Phœbo fudimus ore ſonos.
Annuit, en adſunt ad uota petita Sorores,
E quibus Euterpe talibus orſa loqui,

Cultor

Cultor Apollinei generis Schrötere, quod optas,
Simus ut ad placidum turba parata tuum.
En ſumus & faciles tua iuſsa capeſsimus omnes,
Fauſtiter & cœptum perficietur opus.
Nam'qꝫ diu uolui, uoluit chorus id'qꝫ Dearum,
Quas ueneror ſumma dexteritate Soror.
Egregiis celebres ut uerſibus eſse Salinæ
Poſsent & longa poſteritate legi.
Nam'qꝫ Sigismundi florent hoc tempore Regis,
Hunc & inaudita fertilitate beant.
Trecentos quamuis ſtabiles præclara per annos *(Trecentis annis fuiſſe ſalinas)*
Sint ſolitæ domino ferre tributa ſuo,
Hæ tamen idcirco nil decreuêre, ſed altas
Dant uelut è cornu diuite ſemper opes.
Deſcribunt alii Cyri monumenta Poetæ,
Quidquid & egregii labilis orbis habet.
Ille iocos fingit molles, hic nubibus æquat
Regia Mygdonii laudibus æra Mydæ.
Ære quidem fateor uenduntur & ære parantur
Omnia, quæ mira conditione iuuant.
Improbo nec Tyrio ſaturatas murice ueſtes,
Nec gemmas rubri quas tulit unda maris.
Omnia quæ docto deſcribunt carmine Vates,
Dum petit ingenio quilibet alta ſuo.
Quale ſed ipſe tibi nomen'qꝫ decus'qꝫ parabis,
Commoda ſi referes ordine certa Salis?
Quis'qꝫ Salinarum ſit prudens ordo, ſtatus'qꝫ
Quis'qꝫ labor ſalſas ſemper adauget opes.

Nunq̃

Namq́; uides toto sale nil præstantius orbe, *Encomiū salis.*
Aptius & uestris usibus esse nihil.
Cinnama dant quamuis stomacho satis apta Sabæi,
Et piper & rubri, plurima fila, croci.
Attamen haud ullum placabit aroma palatum, *Vsus salis in cibis.*
Officium nisi sal præstet ubiq; suum.
Piscibus haud unquam, uel carne fruêre ferina,
Nec reliquæ poterunt membra fouere dapes,
Quidquid & effundit rerum natura creatrix,
Si sal defuerit displicet omne gulæ.
Inde uetus uulgi uerbum sonat, utere pane *prouerbiū panem cū sale.*
Cum sale, purpureis ut uideare genis.
Nec modo quod uictu uires mortalibus adfert
Commendata salis copia diues erit.
Pollice sed medicis phisicisq́; probatur utroq;
Morborum uarium quod leuat illud onus.
Si quis & omnimodos medicamine tollere morbos *In medicinis.*
Tentet, Appollineæ cultor & artis erit.
Si sapit adiungat cunctis sal nobile curis,
Præsentem miseris ferre uidebit opem.
Nouit & upilio, tardi nouêre bubulci,
Dulcia qui patriis iugera bobus arant, *In fouendis gregibus.*
Quandoq; salem pecori lambendum quilibet offert,
Quid iuuet herbiuagos utilitate greges.
Nec modo plena domum facit ubera ferre capellas,
Carpere quas auido mouerat ore cibum.
Quinetiam reddit pingues, nutritq́; fouetq́;
Et pecus ad Veneris prouocat omne iocos.

Adde quod & mirum tibi parte uidebitur omni,
Quantumuis paucis notius esse uelim,
Cum tamen eximio te sim dignata fauore,
Mens mea secretum deteget omne tibi.
Asper ut Æsonides socijs comitatus Achiuis
Aurea phryxeæ terga petebat ouis.
Venit & ad sæuos spatiosa per æquora Colchos,
Æetis subijt cultaq; tecta Ducis.
Cumq; salutasset curuato poplite Regem,
Audaci tales protulit ore sonos.
Qui premis arbitrio Scythię Rex optime gentem,
Quidquid & alta uagi phasidos unda rigat.
Aurea cum socijs peregrinus uellera posco,
Quæ mihi susceptæ causa fuere uiæ.
Tu mihi per nemus hoc, piceis quod frondibus atrū
Luce caret, dubio significabis iter:
Vt quam diuerso sequimur discrimine rerum
Incidat in nostras præda petita manus.
Rex ait, æolium uia lubrica ducit ad aurum,
Res tua Sisyphij plena laboris erit.
Æripedes tauros, ignem qui naribus efflant,
Cogeris insolito supposuisse iugo.
Terrigenasq; uiros, uigilemq; domare draconem
Est opus, hosq; neci qualibet arte dabis.
Talibus auditis commotus Iason abibat,
Et dubia certam mente petebat opem.
Acta sed Æmonium furibundo colchis amore
Tutum secretis artibus esse facit.

Sal causa inuēti uelleris aurei.

Ne sit & armatis & toruo præda draconi,
Ducat & ut Martis sub iuga panda boues,
Edocet, & species inclusas pixide quasdam
Colchis amatori præbet amica suo.
In quibus obtinuit primas sal nobile partes,
Æeam primo mouit & illud ouem.
Et uacuus patrias rediisset Iason ad oras,
Sal nisi præsentem ritè tulisset opem.
Præterea locus est memoralibus abditus umbris,
Circum dulcisonis undiq; septus aquis.
Hic ubi littoreas uagus Istula uoluit arenas,
Immortale putes numen inesse loco.
Cuius ad arcanos cum nuper sola recessus
Aoniæ facerem dexteritatis opus.
Quod Rex Sarmatiæ leget inclytus atq; probabit
Et sua quod Iuno, lætus hymenq́; leget.
Ecce Medusæam quatiens grauis ægida Pallas
Armorum strepitu terrisonante, uenit.
Vtq́; solum tetigit uolucres delapsa per auras,
Me subito uisa gaudet ouatq́; Dea.
Aduolat & uerbis me sic affatur amicis,
Pieris æternum sit tibi diua decus.
Vtq́; sit ambabus non ultima gratia nobis,
Tu comes exigui Musa laboris eris.
Fumida tecta Dei, quem lemnia terra ueretur,
Auspicio tecum prosperiore petam.
Vt mihi terribilem clypeum, galeamq́; minacem,
Armaq́; diuinæ præparet artis opus.

200

Armipotente manu quæ uinci nescia reddam,
Bellorum uictrix militiæq́ parens.
Sæpius ut uarias me Carolus auspice gentes,
Vicit & infesto uictor ab hoste redit.
Duxit & augustos augusta laude triumphos,
Et meritis statuit læta trophæa suis.
Sic premet ille suos signis uictricibus hostes,
Hæc mea qui digna gesserit arma manu.
Gesta sed illius tu clara uolumine reddes,
Ilias æternum quod superabit opus.
Turba Poetarum ne desit & inclyta, præstes,
Carmine qui meritum nomen ad astra locent.
Vergilia- num. Vt nati natorum & qui nascentur ab illis
Armorum, fatum molle precentur, hero.
Namq́ Sigismundo donabimus illa potenti,
Quem gens Sarmatiæ clara, potensq́ colit.
Vt superûm dignus meritò, diuumq́ fauore,
Hæc gerat in rigidos uictor ouansq́ Getas.
Iniiciatq́ feris adamantina uincula Moscis,
Ipsorum duro colla prematq́ iugo.
Recta mones, inquam, sequor en Tritonia Pallas,
Efficiam partes prompta, uolensq́ meas.
Hunc quia Pierides Regem ueneramur & illum
Gratia cum gemina dia sorore fouet.
Regis pru dentia & humani- tas. Hunc ego nutriui sacris Heliconis in umbris,
Phocidis & succos me sibi dante bibit.
Inde quibus Clarias est gloria parta per artes,
Diligit & summo collocat ille loco.

Imus

Imus & ut propior ſecretis Ætna cauernis *Officina*
Cernitur, apparent Mulciberiſq́; fores: *Vulcani.*
Ecce Deus uiridi placidam ſub fronde quietem
Feſſus ab aſsiduo membra labore, capit.
Protinus & ſurgit, fortaſsis numine noſtro
Motus, cœleſtes ſenſit adeſſe Deas.
Mouit at ut propius prudens ueſtigia Pallas,
Ætnæi uultus & ſtetit ante fabri.
Incipit & cauſam cur uenerit explicat omnem,
Regia Sarmatico poſcit & arma Duci.
Dum loquitur, ueniunt uaſtum Cyclopes ad antrũ
Brontes & Steropes, Lennius, Acmonides,
Ingenteſq́; ſalis maſsas & fruſta trahebant,
Copia mirabar quid uelit illa ſalis,
Et quamuis per me potuiſsem ſcire, ſalinas
Attamen his ſubitò rebar ineſſe locis.
Lennius utq́; uidet dubiam me, protinus inquit
Illud ab armenio ſal procul orbe uenit.
Cum ſuperûm uariis exaſpero tela figuris,
Firmaq́; magnanimis regibus arma paro:
Sal mihi præcipuum curatq́; facitq́; laborem, *Salis uſus*
Nam miris ſoluit, purgat, & æra modis. *in purgã-*
Nec tam grata forent, uigili licet igne parantur, *dis & ſol*
Auxilio certi deficiente ſalis. *uendis me*
tallis.
Quod mihi prætereà de gemmis rettulit indicis,
Sal ſummo ſuperi conſtituêre loco:
Idq́; ſcies, tacita quamuis iam mente uoluto,
Cum tua te per me tempora ſcire uolent.

Propterea cum ſint tot tantaq́ꝫ commoda rebus
Omnibus, auxilio proueniantq́ꝫ ſalis.
Iam mihi iam Muſis tecum libet ire Viliſcum,
Noſtra profecturis caſtra mouebis equis.
Et qua Sarmaticas potero ratione Salinas
Ad formoſa poli ſydera ferre, feram.
Dixit & impleuit lætis mea pectora flammis
Lætitiæq́ꝫ dedi plurima ſigna nouæ.
Lætus & iniectis ferratis ora lupatis,
Torqueo cornipedis tergore uectus equi.
Mœnia ſed poſtquam ueteris regalia Grachi
Liquimus & Clarij culta theatra Iouis.
Vtq́ꝫ tuas ueniens ſubeo Caſimiria portas,
Transgreſsus ripas Iſtula uaſte tuas.
Mons diui Benedicti. Ecce mihi ſeſe mons latus & arduus offert,
Qui mihi cum Muſis prætereundus erat.
Qui,quod ſacratam Benedicti continet ædem,
A cultore ſuo nomen adeptus habet.
Collis in hoc uiridi ſurgens ferit æthera uultu,
Miror an humana ducat ab arte ſitum.
Culmine pyramidi ſimilis, radice rotundus,
Sepulchrũ Grachi. Deprimit illius firma columna caput.
Qui uelut excubias omnes agat altus in horas,
Cracouiæ patulos undiq; ſpectat agros.
Vnde ſuumq́ꝫ trahat ſtructura hæc nobilis ortum,
A populo noſci prætereunte nequit.
Diua ſed Euterpe dubio ſic fatur Adamo,
Diſce quid iſta ſibi pyramis alta uelit.
Omine

Omine Cracouiam dextro qui condidit urbem, Grachus urbis cõditor.
Grachus, conſilijs, ære, manuq́ꝫ potens.
Vt diuerſarum numeroſa pericula rerum
Vicerat, aut armis aut grauitate togæ:
Vtq́ꝫ ſenex uitæ iam mitia fata trahebat,
Extremi metuens funera mœſta thori.
Condere pyramidem uiridi de ceſpite iuſsit,
Huc ubi templa pius iam Benedictus habet.
Adq́ꝫ ſuos natos, meus hæc cum membra relinquet
Spiritus, & cœli ſede fruetur, ait.
Hoc date gramineo corpus mortale ſepulchro,
Me date telluri, me quia terra dedit.
Contineant alios præſtantia marmora Reges,
Sculptaq́ꝫ Phidiaco ſplendida ſaxa ſtylo.
Hic igitur, uiuens ut iuſserat, ille quieſcit
Sarcophagum, uiuus quem ſibi fœcit, habet.
Nonne poteſt fœlix dici, ter & ille beatus?
Cuius in optatam membra locantur humum.
Hæc mihi dum uerbis & plura recenſet amicis,
Phœbus ad oceani labitur actus aquas.
Ne premat & ſubitis me nox inopina tenebris,
Vlterius celerem calcar adurget equum.
Vtq́ꝫ ſalis plenum curſu properante Viliſcum Situs Vilisci.
Cultaq́ꝫ magnifici uidimus arua ſoli.
Vidimus & circum cliuoſos undiq́ꝫ colles,
Et loca ſpiciferæ non ſatis apta Deæ.
Qua ſed in heſperias ſol mergitur aureus undas,
Vrbis habent æquum grata uireta ſitum.

Arx

Arx iacet egregiis illic circumdata muris,
Optima magnanimis, conueniensq; uiris.
Suppa. Sarmatico Suppam dicunt sermone, quod olim
Hoc sit ab exigua nomen adepta casa.
Supparius Hinc & Supparium nostri dixêre coloni,
Primus honoratam quod colit ille domum.
Hanc ubi præterij, uenerandaq; templa Deorum,
Templum Vilicense. Opposito Suppis ædificata loco.
Vtq; paludosæ superaui dura plateæ,
Sic quod ab assiduis usibus esse solet.
Zacharias Tencha Zittauien. Ecce meus, dudum qui me præcesserat illuc,
Tencha prior mentis pars & amata meę.
Vidit ut ingressum fora me resonantia questu,
Inquit; Pierij fontis Adame decus
Te per Apollineas, quas diligis ipse sorores,
Perq; solum, nati quo sumus ambo, precor,
Huc ades, hoc subeas me faustiter auspice tectum,
Hospitio poteris non meliore frui.
Albertus Kocyelá telonarius Ille tributa licet uectigal & exigit hospes,
Non tamen idcirco reijciendus erit.
Integer est uitamq; gerit sine crimine puram,
Quaq; potest doctis parte placere placet.
Iamq; diu prudens Helyconis amabile numen
Cum Musis summa sedulitate, colit.
Nam graias quamuis artes, didicitq; latinas,
Nil minus Hebræo nouit & ore loqui.
Huc igitur Schrôtere ueni, uenit hesperus, hospes
Ad tua si pateris uota paratus erit.

Optima

Optima paruimus socio gratumq; monenti,
Ad stabulum duci pingue iubetur equus.
Hospes equi motus strepitu, citus aduolat & me
Ominibus saluum gaudet adesse bonis.
Inquit & ô quoties uotis,precibusq; petiui,
Vt posses animo notior esse meo.
Lux mihi candidulis signabitur ista lapillis,
Quæ te sub nostros duxit amica lares.
Vxor ad hæc læti plausus imitata mariti,
Hospitis optati me iubet esse loco.
Hinc mensis fessi discumbimus arte paratis,
Ad partes ueniunt uina dapesq; suas.
Multaq; de rebus uulgaribus inter edendum
Materiaq; placet de grauiore loqui.
Hospes facundo dum plurima disserit ore,
Miscet amabilibus seria dicta iocis.
Sic & ait,iuuenes quoniam cognoscere uultis,
Inuenti quæ sit causa & origo salis.
Iam præbete meis patulas sermonibus aures,
Quod loquar historiæ non liber istud habet.
Ista Boleslaus cum Sarmata regna teneret, Rex Boleslaus pudicus.
Nomina qui sancti casta pudoris habet.
Cumq; pharetrati fulgente Cupidinis arcu
Læsus erat,gnydiæ consilioq; Deæ.
Consortemq; petens thalami, quæ ferret amanti
Gaudia legitimi non abigenda thori.
Magnanimum Regni pius aduocat ille Senatum,
Iussa legunt proceres, conueniuntq; Ducem.

C Vt uc-

Vt uenère, thoro Rex talibus orſus ab alto,
Quę ſit conuentus diſcite cauſa, Patres,
Cœlica ſanctarum quoties myſteria rerum
Et lego munifici certa ſtatuta Dei.
(Nam iuſsis parere Dei delector, & illa
Donec in hoc fuerit corpore uita ſequar)
Grata quod eſt uideo ſuperis coniunctio uitę,
Iuráq; certa Deus quod uelit eſse thori.
Auctior ut fiat uaſti generatio mundi,
Orbis in omne uagi quę dominetur opus.
Et ne ſectemur uetiti commertia lecti,
Quę fugit auſpiciis pronuba Iuno ſuis.
Ergo conſortem thalami ſociamq; pudici
Expeto, ſint uoti dextera fata mei.
Belus Rex Vngariæ. Mittitur ad Belum ſubito legatio Regem,
Imperij dominum, Pannonis ora, tui.
Poſcit & illius præſtantem Sarmata natam,
Exemplum uerę quę pietatis erat.
Kunigundis deſpõdetur Boleſlao. Annuit ipſe parens, Regi deſpondet & illam,
Illa ſui ſequitur iuſsa uerenda Patris.
Cum uero patriis ad nos ſeceſsit ab oris,
Liquit & optati regna paterna ſoli.
Argenti uariis cum nollet & illa grauari
Dotibus, innumeras namq; ferebat opes.
Hiſtoria Kunigundis. Res ait eſt iucunda quidem nec inutilis aurum,
Albáq; ſub noſtris orta metalla plagis.
Non tamen hæc cuiuis fatum lachrymabile donat,
Inq; caſa raró pauperis eſse ſolent.

Inquit

Inquit & ô talem mihi da pater optime dotem,
Conueniens Iro, quę sit & apta Mydę.
Si tibi concedunt talem pia numina dotem,
Accipe, nil tibi mens nostra negabit, ait.
Protinus ad patrias proficiscitur illa salinas,
Gemmaq́ꝫ qua digitos exuit, ima petit.
Inde Polonorum Kunigundis ut inclyta Regi
Iuncta, fauore ducem demeruitq́ꝫ pari,
Nescio quo causa uisendi tempore uenit,
Hos ubi nostra modo tecta uidentur agros.
Iussit & has subito terras inscindere ferro.
O quam foelici res ea cœpta die.
Annulus, in patrias quem miserat illa fodinas
Cernitur, & puri copia plena salis.
Inde sal inuentum regno memoratur in isto,
Reginam meritis hucq́ꝫ tulisse suis.
Hæc est incerti potior sententia uulgi,
Sed caret ista sua, fabula ficta, fide.
Huc uenisse puto Kunigundis tempore, quosdam
Ingenii summa dexteritate uiros.
Qui cum uidissent aliis fortasse sub oris,
Qua ratione secent, inueniantq́ꝫ salem.
Non sine consiliis hoc tentauêre periti
Quodq́ꝫ phryges superat fertilitate, solum.
Protinus, aggressi tantum, potiuntur habentq́ꝫ
Optatis maius, fine carensq́ꝫ bonum.
Hoc & adhuc foelix trecentis floret ab annis,
Regales quamuis effodiantur opes.

Annulus Kunigundis.

Inuentio Salinarũ.

Floret & annoſum diues florebit in æuum,
Sarmatiæ referens certa tributa duci.

Tria præcipua officia ſalinarum.

Sunt tria prætereа præfectis munia noſtris,
Quę nos præcipuo ducimus eſſe loco.

Hieronymꝰ Buzinsky præfectꝰ ſalinarum.

Sanguine nobilium Buzynski natus auorum,
Clarus & ingenii nobilitate ſui.
Qui certis magnum uirtutibus æquat Achillem,
Claraq́; qui proprię nomina laudis habet.
Ille ſalinarum primus moderatur habenas,
Hunc & præfectum Zuppariumq́; uocant.
Huic eſt cura prior ſummarum tradita rerum,
Illius inq́; humeris omne recumbit onus.
Illud & inſomni ſtudio, uigiliq́; labore
Officium præſtat, Rege iubente, lubens.

Iohannes Ocyeski Cãcell. & Camer. Regni.

Nobilis hunc ſequitur Regni Camerarius, ingens
Sarmatico meritis nactus in orbe decus.
Quem quaſi cuſtodem regni proceresq́; ducesq́;
Conſtituêre, ſalis ne minuantur opes.

Stanislaꝰ Morſteyn montium magiſter.

Tertius eſt montes qui luſtrat ubiq; magiſter,
Nomen ab officio conueniente ferens.
Nocte dieq́; uigil curans, ne quid ulla fodinis
Adferat horrendi, uaſta ruina, mali.
Sed paucos hunc ante dies immitia noſtris
Fata pium terris eripuêre ſenem.
Quem ſalſi montes & quem fleuêre ſalinæ,
Continuis & adhuc imbribus ora rigant

Eraſmus. Morſ. ſuccedit patri

Sed ſenis iſte locus nato conceſſus Eraſmo eſt,
Sæpius infirmo qui patre geſſit onus.

His tri-

His tribus officijs quædam præstantia subsunt,
Quę circa curas suntq́; manentq́; graues.
Præfectum grauium commissa potentia rerum *Plura officia.*
Aggrauat, innumeris sollicitatq́; modis.
Propter id eximię sibi nobilitatis alumnum
Legit & huic proprias credidit ille uices.
Nomine Pyaskowki, claro de stemmate natum, *Iohannes Pyaskowsky Vicesuparius.*
Quiq́; decus generi contulit omne suo.
Hic quanta rerum multarum mole grauetur,
Quisquis ab officio computet ista suo.
Iungitur huic, certaq́; locum ratione secundum
Nobilis Andræas Schadcouiensis, habet. *Andreas Schadcouieñ. Notarius.*
Hic acceptorum summam rationibus infert,
Quælibet & uigili sedulitate notat.
Et ne quem solito fraudet mercedis honore,
Continet in certis nomina cuncta libris.
Præterea pretium, quod quisq; labore meretur,
Inscribit tabulis peruigil ille suis.
Hæc est in nostris non ultima cura salinis,
Hæc grauat hunc clarum tẽpus in omne uirũ.
Attamen ille uacat, concessa per ocia, Musis,
Et sacra pierij pocula fontis amat.
Nubibus inde suum fama caput intulit altis,
Nobile Phœbæa nomen ab arte ferens,
Turba frequens cũ nos docilis petit æmula Musę.
Hocq́; cupit tota mente uidere solum.
Excipit & summo doctos complexus amore
Promouet, & uaria conditione placet.

480

Qui te cum noſtras uenisse uidebit ad oras,
Signa tibi gratę plurima mentis erunt:
Stigarij duo. Sunt duo præterea, quibus eſt ita nomen adeptum
Ad loca quod crebro ſcandere ſalſa ſolent.
Deſcendunt, quocies roſeis aurora capillis
Aurea formoſo ſemouet aſtra die.
Ad partes tunc quemq; ſuas uia cognita ducit,
Imperium certis diſpoſuêre notis.
Vtq; laborantes, ueluti iuſsêre, laborent,
Interdum blandè, uerberibusq; monent.
Et curant ſuperas ut ſal reddatur in auras,
Caſparus Coſwycz Sileſius. Ictibus exciſum quod iacet aſsiduis.
Quorum Caſparus primum ſortitus honorem
Inclyta Coſchuitię gloria gentis, habet,
Iohannes Gutowski Alter & egregiis, clarisq; parentibus ortus,
Ducit ab eximiis nobile nomen auis.
Iohannes Ianitius põderator Hinc eſt Ianitio, quod ponderat omnia nomen,
Omnibus officium non minus hiſce gerens.
Omnem namq; ſalem trutinis examinat æquis,
Et memor expenſi cogitur eſſe ſalis.
Vir pietate potens, morum grauitate uerendus,
Et colit adductas ex Helycone Deas,
Egit in Italia multis ſtudioſus ab annis,
Nactus & eſt magnum cognitione decus.
Andreas Grabowski diſpẽſator. In Suppis uero Grabowski domeſtica curans,
Diſpenſatoris nobile præſtat opus.
Carpimus intereà genialis fercula cœnę,
Hoſpite tam gratis ora mouente ſonis.

Lętaq;

Lætaq́ꝫ iucundis iubet interponere menſis
Gaudia, feſtiuos ore manuq́ꝫ modos.
Sed, mihi de ueſtris mens eſt audire ſalinis
Inquam, plura uelis explicuiſse precor.
Nil minus altiſono tollemus brachia plauſu,
Sumpturi facili dulcia uina manu.
Ad noſtras trino deſcenditur ore Fodinas
Sub terrasq́ꝫ tribus faucibus itur, ait. *Tres putei ad deſcenſum.*
Nomen habet Regis ſacro iūnctiſsima templo,
Quę primum regno protulit alma ſalem. *Mons Regius.*
Altera Seraphij titulum ſortitur, habetq́ꝫ
Hoc quę præcipuas tempore præbet opes.
Illam Seraphius Clarię celeberrimus artis *Mons Seraph.*
Secretum ſtudii cum ſequeretur iter,
Sumptibus inuenit propriis, magnoq́ꝫ labore,
Sic uoluit Regi perplacuiſse ſuo.
Tertia magnanimi meritis laudata Boneri, *Mons Bonericus.*
Inuentoris habet nomina clara ſui.
Ille Bonerus erat ad murmur amabile Rheni *Iohannes Bonerus.*
Natus & hunc tulerat Teutonis ora uirum,
Quale ſed hic fuerit lumenq́ꝫ decusq́ꝫ Polonis,
Intulit & noſtris commoda quanta plagis:
Id tremuli nouēre ſenes, nouitq́ꝫ iuuentus,
Sarmaticę matres, Sarmaticæq́ꝫ nurus.
Ipſe licet uatum laus immortalis Homerus.
Viuat & aonia nobilis arte Maro,
Neſcio quis tantæ præſtantia pondera molis
Audeat ingenio ſuppoſuiſse ſuo,

Vt uelit

Vt uelit illius clarissima facta Boneri
　Inter Apollineis astra referre notis.
Puteus aquarum. Hic & aquę puteum montis fœcêre magistri,
　Tollitur ad superas hinc salis unda plagas.
Quę cum ferratis fuerit bene cocta patellis,
　Dat purum nobis utilis illa salem.
Sal coctilis ex aqua inferiore. Tamq́ꝫ fauore potens superûm natura fodinis
　Est data, perpetuis si premerentur aquis
Non tamen inferrent nostris incommoda rebus,
　Vnda daret grati plurima plaustra salis.
Huius & est muriæ prædiues copia salsæ,
　Nunquam sub nostris absoluẽnda casis.
Casæ ĩ quibus sal coquitur. Illaq́ꝫ cum gelidas est utribus acta sub auras,
　Natiui tantum nempè caloris habet.
Aqua extracta nõ cõgelatur frigore. Vt cum frigoribus concrescunt omnia strictis,
　Sentiat arctoum non tamen illa gelu.
Nec mersum patitur gallinę aut anseris ouum,
　Quod forsan reliquis densior esse solet.
Dẽsior aquis uulgaribus. Salsaq́ꝫ comportant quidam ramenta ministri,
　Fulua quibus numero cedit arena maris.
Sal coctilis ex ramentis. Post soluuntur aquis uulgaribus illa, supernis
　Cum fuerint torto reddita fune locis.
E quibus efficiunt nostri sal nobile lymphis,
　Infusas labris cum super igne coquunt.
Iustus Ludouic9 Decius salis cocti præfectus. Hasq́ꝫ casas æquis Decius moderatur habenis,
　Et subit excocti munia certa salis.
Fudit ut has hospes syncero pectore uoces
　Hæc ait est nostri summa caputq́ꝫ status.

Intereà Clarię præclaros artis alumnos
Optabam ſtudiis conciliare meis.
Iſtaq́ per puerum generoſo carmina miſi
Andreę, libros qui rationis habet. Andreæ. Schad. notario
Docte nouenarum decus immortale ſororum
Andrea, Lycio non abigende Deo.
Cum tua clara mihi quę tendit ad ardua uirtus,
Et placeat, uera cum pietate, fides.
Raraq́ naturę bonitas, moresq́ uenuſti,
Et quod Apollinea pectus ab arte nitet.
Inq́ tui ducant, ferrum ceu magnes, amorem,
Cur te non ſtabili ſemper amore colam?
Semper amore colam te uir celeberrime, ſemper
Ad partes ueniet mens mea prompta ſuas.
Dignus es at quamuis melioris carmine uatis,
Et tua ſunt clario nomina digna ſtylo.
Attamen ingenium, ſtudiumq́ probabis Adami,
Cum mea te memori Pieris ore canet.
Pectore me tantum iam complectaris amico,
Et meus officii munere creſcat amor.
Candida ſic faueant uultu tibi fata ſereno,
Inq́ tuos ueniat nil niſi dulce lares.
Cras & ubi lucem, cœlo fugientibus aſtris,
Tithoni roſeis proferet uxor equis.
Cum fueris curis turbaq́ remotus ab omni,
Sint mihi colloquii tempora pauca tui.
Aonię poſtquam cultor celeberrimus artis
Hæc legit digitis ſcripta notata meis.

Dixit, honoratos non ultimus inter amicos
Hic Schröterus erit tempus in omne mihi.
Illius & quauis ratione leuabo Camœnas,
Vt uideat Musis me bene uelle suis.
Me'q; uidere uirum nox impedit atra uolentem,
Et graue curarum, sæpe quod instat, onus.
Nil minus ut tractet me molliter hospes Adamum
Præbibat & fesso pocula multa, iubet.
Noctis & ut quartam læti transegimus horam,
Mollibus intulimus membra leuanda thoris.
Mane salutabam clarum uirtutis alumnum,
Cui dederam Musę scripta tenella meę.
Protinus optato qui me dignatus amore,
Pectore susceptum candidiore fouet.
Quanta'q; præstiterit nostris benefacta Camœnis,
Non capit exiguus nec breuis ista liber.
Cum uero lautè caperemus prandia mensę,
A dominis punctum protinus omne tuli.
Suauiter & spatium traduximus omne diei,
Quisq; dedit faciles ad mea uota manus.
Tunc ego me dixi præfectis ordine claris
Velle salinarum mane uidere situm.
Postera lux oritur, tepidis sol clarus ab undis
Formosum nitido rettulit orbe diem.
Coschuitius nostrę non ultima gloria gentis,
Ad puteum famulo me properante uocat
Hinc ad Seraphii cum ueni concaua montis
Ora, precor claro dextera fata uiro.

Lignea

Lignea prævalido circumdata machina ferro
Quattüor intrepidis acta mouetur equis.
Illi prægrandis robustaćꝙ restis adhæret,
Omnia quę superis extrahit apta plagis.
Posthac montanis induti uestibus, imus
Huc ubi nigra uagis faucibus ora patent.
Illic turba stetit trepido concussa tremore,
Ima timens tremulos ad loca ferre pedes.
Incensis illi stipulis & stramine lustrant,
Quam sit ad infernum fossa profunda situm.
Amoui nebulas animo, dubiumćꝙ timorem,
Mens tamen hæc pauidi plena timoris erat.
Ne tamen hæc animus meus intentata relinquat.
Optabam placidos ad mea uota Deos.
Prendimus inde manu sellas è subere textas,
Ad funem grandem quisquis & arte ligat.
Coniungunt binos iterumćꝙ iterumćꝙ sedentes,
Sic semel innumeri pallida regna petunt.
Vsibus assueti rutilantem lampada gestant,
Et ne lædantur, cum pede quisꝙ cauet.
Dum nos per puteum proni demittimur altum,
Pars canit, at doctę non cecinêre Deę.
Inquit & Euterpe, non res Schrötere uidetur
Gratior ? in uiridi plectra mouere loco.
Vt tetigêre solum primi, se quilibet aptè
Explicat, ut nobis possit & esse locus.
Terricolę circum fauces stant undiꝙ fratres,
Indusijs cincti, lampada quisꝙ gerens.

Machina extractoria.
Indusium montanũ.
Incenso stramie timidis ostẽditur altitudo.
Modus descendendi
Fossorum habitus.
Lampas, indusium,

pera. Grandibus & peris uelati membra, lucernis
In quibus apta ferunt pinguia sæua boum.
Varij meatus salinarum. Protinus amphractus uarii, uariiq; meatus,
Ostendunt miras significantq; uias.
Non ego tot curuis ambagibus atria Cretę
Dædaleas credo composuisse manus.
Hic licet Ægides comitantia fila sequatur,
Et faciat tutas has Ariadna uias,
Non nisi forsan eat fido comitatus Achate,
Illæsum poterit ferre referre caput.
Dumq; ita per totos salsos erramus hiatus,
Longius & cupidi continuamus iter.
Cameræ (ut uocãtur) Venimus ad latas cameras (sic Sarmata dicit)
Quę spatio superant festa theatra suo.
Quę uelut excelsis firmantur templa columnis,
Columnæ salsæ. Neue ruant solido de sale fulcra premunt.
Quædam lignorum struibus loca fulta tenentur,
Fulcra lignea. Sal facit ut pylios stent, maneantq; dies.
Grandes uoluebant ad fauces undiq; massas,
Volutio bancorũ. Quas bancos nostra dicere uoce solent.
Ille latus cuneis findit, ferroq; rigenti,
Modus scandi. Hicq; secat glebas sub pede sæpe graues.
Ille ferit stando, iacet hic, sedet ille supinus,
Et quo quisq; potest aptius, istud agit.
Prætereà multi sua nudi membra laborant,
Nocte dieq; frequens quilibet urget opus.
Non illic discrimen habet nox atra, diesq;
Æternis premitur noctibus iste locus.

His

676 15

His igitur merces persoluitur æqua laborum, *Merces pro labore.*
Sic non, pro spatio temporis, æra ferunt,
Turbaq; fossorum cum magnas sedula massas
Cómouet, omne tonat fulminis instar opus.
Prætereà montes destillant undiq; guttas,
Non tamen hæc aliquid adferet unda mali.
Illa sed in puteum deducta canalibus altum, *Canales.*
Tollitur ad nostras, utribus hausta, casas.
Paruaq; conuerrunt teneri segmenta ministri, *Segmenta parua.*
Illaq; carpentis ipsa sub ora trahunt.
His igitur multas dum montibus erro per horas,
Vlterius fessi uix potuêre pedes.
Dumq; salis uideo tam puros undiq; montes,
Fulua quibus cedit diuitis unda Tagi,
Cernitur inferius nobis immane barathrum,
Illud & à festo nomina Solis habet, *Altius barathrum. Nyedzyáłek.*
Quis tantum molitur opus? prius ipse putabam
Tartara nos medio posse uidere die.
Istud at ut uidi, uidi nigra Tartara Ditis,
Moxq; dedi timidas corde tremente notas.
Vixq; mihi uisa est ibi quę rota lignea stabat,
Qua salis humana frusta leuantur ope. *Inferior extractoria machina*
Hic quę bis seni mortales munia præstant,
Illa supra quattuor perficiuntur equis.
Hæc ego cum uidi, satis est potuisse uidere
Dico, iuuent alios ista theatra uiros.
Ad putei uerò cum uenimus ora patentis,
Languebant tarda corpora nostra mora.

704

Non patet ex imo Solis lux alma, ſuperni
Nec poſſunt noſtros excipere aure ſonos.
Signa uolentiũ exire. Ictibus ingentes ſtrepitus ſonituſq; mouemus,
Pulſantes ferro robora querna graui.
Quamprimum pedibus noſtrum ſenſere tumultũ,
Demittunt reſtem, noſq; paramus iter.
Penſilibus uerò ſellis, ut reddimur auris,
Clamo, ſalinarum ritè ualete lares.
Vos & Apollinea dignabor arundine, ſaluus
Quod nunc optatis perfruor ipſe locis.
Vos igitur ſacro Libetrides ordine Muſę,
Cum ueſtrum uiuat, nec moriatur opus.
Vidiſtis regni claras, celebreſq; ſalinas,
Splendida quę ſuperant diuitis æra Mydę.
Salinę Bochneñ. Salinę Ruſſię. Bochna licet ſolidas, & Ruſſia culta Fodinas
Vtraq; Sarmatico ſub duce diues, habet.
Has precor æternis faciles mandate libellis,
Schrôterum qui me forſan amabit erit.

FINIS.